

Rata ... munera linguae: forme di cristianizzazione della lingua poetica latina fra IV e V secolo d. C.

Francesco Lubian (Università degli Studi di Padova)

Ambr. *epist.* 73 (= Maur. 18), 2: Aurea enim, sicut Scriptura diuina docet (*Prv.* 15:2), est lingua sapientium litteratorum, quae faleratis dotata sermonibus et quodam splendentis eloquii uelut coloris pretiosi corusco resultans capit animorum oculos specie formosa uisuque perstringit. Sed aurum, si diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum est.

«Aurea infatti, come insegna la divina Scrittura, è la lingua dei saggi letterati, che dotata di ornamenti verbali e di uno stile sgargiante come i riflessi di un colore prezioso, cattura gli occhi dell'anima con la bellezza del suo aspetto e abbaglia la vista. Ma quest'oro, se lo maneggi attentamente, in apparenza è prezioso, in realtà non è che metallo» (trad. A. Traina).

1. Istanze programmatiche

1.1 Iuvenc. 1, 9-14:

Hos celsi cantus, Smyrnae de fonte fluentes,
illos Minciadae celebrat dulcedo Maronis.
nec minor ipsorum discurrit gloria uatum,
quae manet aeternae similis, dum saecla uolabunt
et uertigo poli terras atque aequora circum
aethera sidereum iusso moderamine uoluet.

1.2 Iuvenc. 4, 802-805:

Has mea mens fidei uires sanctique timoris
cepit et in tantum lucet mihi gratia Christi,
uersibus ut nostris diuinae gloria legis
ornamenta libens caperet terrestria linguae.

1.3 Sedul. *carm. pasch.* 1, 1-16:

Paschales quicumque dapes conuiua requiris,
dignatus nostris accubitare toris,
pone supercilium si te cognoscis amicum,
nec quaeras opus hic codicis artificis:
sed modicae contentus adi sollemnia mensae
plusque libens animo quam satiare cibo.
Aut si magnarum caperis dulcedine rerum
diuitiasque magis deliciosus amas,
nobilium nitidis doctorum uescere cenis,
quorum multiplices nec numerantur opes.
Illic inuenies quidquid mare nutrit edendum,
quidquid terra creat, quidquid ad astra uolat.
Cerea gemmatis flauescunt mella canistris
conlumentque suis aurea uasa fauis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
rubra quod adpositum testa ministrat, holus.

1.4 Sedul. *carm. pasch.* 2, 279-284:

Non quia nos Dominus, lucis uia, semita pacis,
in laqueos temptantis agat, sed cum mala nostra
deserit, ire sinit. Nam quisquis retia mundi
deliciosa sequens luxus et gaudia blandae
perditionis amat, Deus hunc, uirtutis amator,
linquit, et ingreditur qua se temptatio ducit.

1.5 Sedul. *carm. pasch.* 1, 17-26:

Cum sua gentiles studeant figmenta poetae
grandisonis pompare modis, tragicoque boatu
ridiculoue Geta seu qualibet arte canendi
saeua nefandarum renouent contagia rerum
et scelerum monumenta canant, rituque magistro
plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
cur ego, Dauiticis adsuetus cantibus odas
cordarum resonare decem sanctoque uerenter
stare choro et placidis caelestia psallere uerbis,
clara salutiferi taceam miracula Christi?

1.6 Paul. Nol. *ult. prima* (= *carm. 10* Hartel), 33-42:

Vacare uanis otio aut negotio
et fabulosis litteris
uetat, suis ut pareamus legibus
lucemque cernamus suam,
quam uis sophorum callida arsque rhetorum et
figmenta uatum nubilant,
qui corda falsis atque uanis imbuunt
tantumque linguas instruunt,
nihil afferentes ut salutem conferant,
quod ueritatem detegat.

1.7 Ps 143:7-9:

⁷Emitte manum tuam de alto
eripe me et libera me de aquis multis
de manu filiorum alienorum
⁸quorum os locutum est vanitatem
et dextera eorum dextera iniuritatis
⁹Deus, canticum novum cantabo tibi
in psalterio decachordo psallam tibi.

2. Modalità di adattamento

2.1 Iuvenc. 3, 437-439:

‘Nam caeli regnum domini praediuitis aulae

consimile est, nummi rationem qui sibi poni
iusserit

Mt 18:23 (Jülicher 1972², pp. 129-130): Ideo similis est habitus regni caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

2.2 Iuvenc. 2, 536-540:

genuit nec femina quemquam,
maior Iohannis nostri qui uiribus esset.
sed minor hoc caeli fiet sublimior aula.
Huius ab exortu uim caeli regia sentit,
et caeli regnum uiolentia diripit atrox.

Mt 11:11-12 (Jülicher 1972², p. 66): ¹¹Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum propheta maior Iohanne baptista; qui autem minor est in regno caelorum, maior eius est. ¹²A diebus autem Iohannis baptistae usque nunc regnum caelorum cogitur, et cogentes diripiunt illud.

2.3 Drac. laud. dei 2, 502-508:

et nobis pietas tamen alma parentis,
indulgere uolens cito quam punire parata,
misit ab arce pium caeli per sidera Christum,
qui uirtute sua serpentis frangeret artes
per uexilla crucis hostis populando cohortes,
praecipiti iactu quas celsa palatia caeli
exilio trusere graui sub perpetue culpa.

3. La poesia della Scrittura

3.1 Arator ad Vigil. 23-26:

Metrica uis sacris non est incognita libris;
Psalterium lyrici composuere pedes;
hexametris constare sonis in origine linguae
Cantica, Hieremiae, Iob quoque dicta ferunt.

3.2 Drac. laud. dei 2, 339-346:

Sol lux clara dies luna stellaeque micantes
uel quaecunque Deo famulantur sidera magno
militia praeclara poli uel pontus et aer
et tellus accepta dei praecepta reseruant
ac deuota pie per saecula mille morantur;
nec tam longa mouet diversi temporis aetas,
ut legem seruare negent aut tempora mutant
contra iura Dei, contra praecepta Tonantis.

3.3 Drac. laud. dei 1, 5-11:

Quinque plagae septemque poli sol luna triones

sidera signa noti nix imber grando pruinæ
fulmina nimbus hiems tonitrus lux flamma procellæ
caelum terra iubar chaos axis flumina pontus
uel quicquid natura dedit praecepta creare,
hoc agit et sequitur uariis sub casibus iras
et pia uota Dei.

3.4 2Esr 9:6: Tu ipse Domine solus tu fecisti caelum caelorum et omnem exercitum eorum terram et universa quae in ea sunt maria et omnia quae in eis sunt et tu vivificas omnia haec et exercitus caeli te adorat.

3.5 Ps 148, 4-6:

⁴Laudate eum caeli caelorum et aquæ quæ super caelum sunt

⁵Laudent nomen Domini quoniam ipse mandavit et creata sunt

⁶Et statuit ea in saeculum et in saeculum

præceptum dedit et non praeteribit.